



Vicelinus ab ineunte ætate optimis literis imbutus, in uirum doctissimum abiit. accedebat etiam uitæ innocentia, & uenusta dicendi facultia. Itaque cum eius tempore Vandali etiam à Christianorum religione declinassent, atque piros persequerentur, Vicelinus ille ad eos profectus in Lubecka, & Aldenburgo ardenti zelo Euangelium prædicauit, & multos Vandalorum ab Idolorum cultu, ad ueram religionem reduxit. Mansit is in Holsatia per annos triginta, & tandem ætate prouectus in episcopum Aldenburgensem electus est. Eam ecclesiam non modo magna pietate administrauit, uerum etiã reliquas finitimas adiit, atq; docē

do, consolando, & increpando omnis generis homines in officio continuit, cum Fridericus Barbarossa rerum potiretur. Itaque huius uiri memoria apud Saxones & Obotritos recens adhuc existit. Tumulatus tandem fuit in Falderensi ecclesia præsentem Raceburgensem episcopum, anno 1154. prid. Idus Decembr. Hunc postea inter sanctos relatum referunt, Albertus Crantz, in Vand. lib. 4. capite 15.